

Heinrich Rudolph Redecker

**[Apparatus Quis Sit Et Dicatur Suus Heres. Johannes Corasius inter gallos ICtus Clarissimus ... : Dabam Rost. ex museo 18. Maii Anno 1665]**

[Rostock], 1665

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735198128>

Druck Freier  Zugang




Einrichtung „Sein Erbe“

H. Z. Redeka 1a

R. U. in 1665.







*Redepen*



APPARATUS  
QVIS SIT ET DICATUR  
SUUS HERES.

**I**OHANNES CORASIUS inter Gallos JCtus Clarissimus, & sex Academiarum quondam Professor celeberrimus, cujus innocentissimâ morte tragica illa Gallorum laniena famosior facta est, refert: Angelum Politianum Græcè Latinèq; impensè doctum, cum superbè jactitaret, se vel Accursium ipsum superare posse, à Mariano Socino JCto Clarissimo rogatum: Qvisnam in jure civili SUUS HERES diceretur? turpiter obmutuisse. Idem, ne meis Auditoribus, quorum desiderii studiisvè nunquam non sedulus vacavi, obveniret, sollicitus fui maximè, ne in salebrosâ Suitatis materia impingerent; Quia, ut *Forcat. in Nelyom. Dial. 36. n. 2.* fatecur, non trita est, SUUS, significatio. Nam uti apud Grammaticos accuratum hujus vocis usum & collocationem rectam, notavit *Valla*; ita in jure ambiguum dicitur verbû suum *l. 239. §. f. d. V. S.* imo indubitati juris est, quod SUUS heres ex L. XII. tab. planè specialem habeat significationem, & non tam sexum ejus qui suus est, quàm vim ac potestatem personæ ejus, qui SUUS dicitur, denotet. Proindè curavi impensè, ut significationes juris meis Auditoribus inculcarem: Non enim Grammatici sed JCti officiû sustineo. Quare studiû otiumve meum melius & liberalius occupare potui hæcenus, quàm ut in colligendis vocum manipulis, quæ ad publicam salutem, aut bonam mentem parum vel nihil conferunt, operam meam curatius impenderem. Cum ipso *Quintiliano* teste *l. 8. Inst. Orat. c. 2. p. 598.* proprietas non ad nomen; sed ad vim significandi referatur, nec auditu, sed intellectu perpendenda sit. Unde cum SUUS HERES, sive quâ nomen, sive quâ significationem, ex Jure Civili descendat, h. e. ex ipsa L. XII. Tab. *l. 220. D. V. S.* quæ *ἑξ ἑξῆς* jus civile, in jure vocatur *pr. Inst. d. Usucap.* ego terminum illum non esse popularem & grammaticum, sed technologicum, forenses & proprium JCtorum, cum *Hotomanno*, *Vinnio* & communi D. D. Scholâ,

A

1665



Scholâ, firmiter hæcenus statui: adeoq; & filiam, juridicè suum heredem satis rectè dici posse, meos Auditores, eo præprimis sine, docui, ut ab initio, quid suus heres ex usu juris peculiari sit, possent intelligere. Verum enim verò, cum, quousq; hanc interpretandi juris spartam obtinui, invidos meos osores abundè persenserim, ita legali hac interpretandis ratione, non erabrones tantum, sed erabronum aculeos etiam, me maximè irritasse, videre mihi videor; quando non illis duntaxat, quibus hæcenus mei labores placuerunt, sed passim etiâ, me jura pravè interpretari, studiososvè juris miserè decipere, mendax clamor insinuatusest. Quod ab illo procul dubio, qui hæcenus canis instar studiis meis insultavit; eade causâ factitatum est, ut vel studiosorum animi à me distraherentur, vel ut impurâ suâ linguâ famâ meam suggillaret, arroderetvè, si posset: nec magnifacio, siue is Labeo fuerit, cujus quæstionè stultam vocavit Celsus in *l. 27. ff. q. test. fac. poss.* siue Macedo, qui propter improbum scenus malè audit in *l. 1. ff. ad Sc. Maced.* siue C. Aphrania in verecunda scœmina, Lixinii Brutionis uxor, ab aliis Calpurnia, Calfurnia vel Carphania dicta, cujus mentio fit in *l. 1. ff. d. Postul.* siue quivis alius. Ego interim hominem inconsideratum & turpiter me traducentem, optimo Jcti nomine compellavi, Capitonemvè dixi, ne viderer causæ justitiæ maledictis colorare, vel innocentiam meam injurioso verbø maculare. Ne autem insensatè quicquam vel dixisse, vel scriptitasse à quoquam insimularer, rationes & pōdera meæ dictionis publicè edere, nunquæquidem detrectavi. Imò, si quis dictionis meæ argumenta, quod inter veteres Jctos, quia continuo decertabant, frequenter factum esse notū est, amicè placideq; abs me exegisset, haud difficulter dixissem; judicium interea cuius liberū relinqvens, quippe quod in rationibus est primū. Ex principiis enim juris didici docuivè, quod verba juris sumâtur modo propriè, modo impropriè, modo usualiter, modo interpretativè, modo autem tropicè; Propriè autem me loqui & juridicè, quando secundum juris definitiones progredior, mihi semper persuasum habui, & habebø imposterū; donec evidentiori ratiocinatione superatus, conceptam opinionem relinqvendam videam. Veritatem enim oppugnare temeritatis simul & ambitionis



bitionis esse, prudentes reputant. Ita secundum significationem juris, cum Sui heredis qualitatē explicarem, casumq; qui in facto occurrit, formarem, etiā filiam juridicē SUUM heredem esse, dixi. Et hoc, conscientia teste, eo præpripis animo & sine, ut addiscerent novi Justiniani quis propriē & juridicē sit, dicaturve SUUS HERES, adeoq; ibant verba quo præibat cogitatio. Hæc autem ne perfunctoriē aut oscitanter proposuisse videar, argumenta hujus meæ assertionis ex sequentibus rationibus desumpsi præcipuē.

I. Quia in L. XII. tab. non tantum filius, sed etiam filia SUUS dicitur, cujus verba hæc sunt: *Si Pater familias intestato moritur, cui SUUS nec extabit heres, agnatus proximus familiam habeto.* Cujus legis sententiam in hunc modum collegit, *Rittersh. ad L. XII. tab. d. 3. p. 2. c. 21.* Si quis ex suis heredibus maribus, SUUS heres esse defineret, liberi ejus & cæteri in locum suorum SUI heredes succedunt. *Hinc queritur: Qvis in L. XII. tab. dicatur SUUS heres? Respondetur ex §. 2. J. d. hered. qual. & diff. & ex §. 2. J. d. hered. q. ab intest. def.* Filius, Filia, Nepos, Neptis &c. Hæc sunt quæ ego dixi, quæ scripsi, & quæ secundum significationem juris juridicē vera sunt.

II. Definitur SUUS heres: *Persona, quæ in morientis Patris familiā proximum ab eo gradum obtinuit l. 7. ff. unde lib. dd. §§. Inst. ubi Bach. Hotom. in Comm. D. V. S. Pet. Greg. Tholos. l. 42. Synt. jur. c. 13. n. 1.* in quam definitionē DD. omnes mirā conformitate consentiunt, ita ut supervacuum sit longum catalogum illorum hic texere, cum nec, quid sine cavillatione in ea desiderari possit, occurrat. Inde Dialecta juris ita infert.

*Cui competit definitio propriē & juridicē, ipsi etiam competit definitio propriē & juridicē.*

*Filia competit definitio sui heredis propriē & juridicē  
E. etiam definitum.*

Major est Aristotelis & omnium Logicorum. Minor est L. XII. Tab. & omnium D. D. unde rectē concludit *Tholos. d. l. SUUS heres dicitur filius, filia &c.* Quapropter stultum foret, si quis ipsam conclusionem vellet vocare in dubium.

A 2

III. Ver-

*Def.*



III. Verbum hoc, SUUS HERES, non est grammaticum aut oratorium, sed est verbum juris, & ita disciplinæ nostræ proprium, adeoq; terminus artis & nomen civile *l. ult. d. bon. damn. d. l. 220. d. V. S. Hotom. Obs. l. 9. 10.* quem sequitur & approbat *Vinnius ad S. 2. Inst. d. hered. qual. & diff.* Ergo non habet, quâ juridicè sumitur, præcisè respectum ad constructionem grammaticam, sed ad significationem juris *d. L. XII. Tab. unde desumpta est d. l. ult. d. bon. damn. junct. d. l. 220. D. V. S.* Habet enim nomen hoc quædam propria & ab usu populari remotissima, Ergo in significato hoc, SUUS HERES, compositum aliquod sonat, unde etiam Græcè suus heres uno & composito verbo *αὐτοῦ κληρονομία* dicitur, & quidem, si ad Grammaticam respexerimus, genere communi. Idem si latinè & juridicè dixerò, à scopo aberrare haut possum; quando enim Græcè particula *αὐτός* cum substantivis sine respectu generis Grammatici eleganter construitur, ut frequenter fit, ita dicitur *αὐτοῦ κληρονομία καὶ αὐτοῦ πατρὸς*, cur idem in latinis & præcipuè in jure, ubi terminus artis & per se vox significativa est, fieri non debeat, vix video.

IV. Et hoc inde magis probatur, quod vox SUUS, in hoc significato vocem heredis perpetuo antecedit. Inde in jure dicitur SUUS heres, non autem heres SUUS, *l. 29. ff. d. lib. & postb. l. 36. §. ult. ff. d. in offic. test. nisi fortean Imperatori vel Jero, in-versus locutionis terminus, per imprudentiam exciderit arg. l. 8. C. d. suis & legit. hered. junct. l. 29. ff. d. hered. Instir.*

V. Accedit, quod nullum adjectivum per se positum aliquid determinativè significet, vox autem SUUS per se & sine adjecto substantivo determinativè ponit aliquid, & suum heredem significat *d. l. 29. ff. d. lib. & postb. d. l. 120. D. V. S. l. 3. ff. de agnos. & a- lend. lib.* Ergo vox SUUS non denotat nomen grammaticum & populare, sed civile & juridicum, adeoq; sine relatione seu constructione grammatica, qualitatem personæ, cui fuitatis jus competit, respicit: & ita vel separatim vel conjunctim cum voce heredis posita, substantivè sumitur, quatenus sc. est terminus artis & civilis.

VI. Ita mater habet quidem suum filium & heredem suum, sed non



sed non habet suum heredem §. 10. *Inst. l. 5. C. d. Adopt. §. 3. Inst. de hered. qual. & differen. l. 13. ff. d. suis & legit. hered.* Quid quæso hic respondebit grammaticus, cui pronomen substantivo cuiuscunq; præ vel postponere indifferenter licet? certe obmutescet cum doctissimo Politiano & terminum artis agnosceret, mirabiturve quod filius exheredatus suus esse non desinat l. 9. §. 2. ff. d. lib. & postb. & Pater perduellionis reus licet filium filiamve indifferenter habeat, suum tamen heredem habere nequeat §. 5. *Inst. d. hered. qual. & diff. quamvis alias invito patri sæpe SUUS heres agnoscatur l. 12. §. 3. ff. d. capt. & postl. reversis.* Ex quibus omnibus patet quæ specialis sit huius vocis, iuridicè lumptræ, significatio.

VII. Verbum autem SUUS heres, non involvit respectum ad personam patris, qui SUUM heredem habet, sed de ipso qui SUUS est prædicatur; qui etiam vivente patre SUUS heres dicitur, quasi qui sibi ipsi heres est; seu sui ipsius heres, & sibi ipsi succedens l. in suis ff. d. lib. & postb. & SUUS quasi Dominus arg. §. f. *Inst. d. hered. qual. & diff.* quia vivo & superstiti patri quodammodo socius & coheres dicitur, cum tamen viventis nulla sit hereditas l. 42. ff. d. R. 7. l. qui superstitis ff. d. acq. hered. Adeoq; filius natus se suum heredem dicere potest arg. l. 1. §. 12. ff. d. lib. agnosce. l. 11. ff. d. lib. & postb. quia ignorans & nondum apertis tabulis heres est l. 3. C. d. jur. de lib. & quidem SUUS, seu sui ipsius heres, propter condominium illud, quod vivente Patre in cuius potestate est, jura suorum eum habere fingunt: Idem de filia iuridicè dicere, quid vetat? Non interim nego vel negavi unquam, quod filia in jure, & in eodem sensu possit dici sua heres, cum id, per l. ult. ff. d. collat. *Briff. d. V. S.* cujus operâ in explicandis terminis hæcenus usi sumus, in verbo SUUS heres, inculcet; Sed hoc tantum dixi, eandem, posthabita constructione grammatica, relativè ad L. XII. Tab. & definitionem SUI heredis, secundum terminos artis, iuridicè rectè dici suum heredem.

VIII. In eandem hanc sententiam de Phœnice sua eleganter cecinit *Lactantius*:

*Ipsa sibi proles suus est pater & Suus heres.*

Et Ovid, *Vivit enim in nobis facundi lingua parentis*

*Et res heredem repperit illa suum.*

A 3

Qvos



Quos versus ad ulteriorem hujus termini juridici explicationem  
& intellectum allegat *Hotom. l. 9. Obs. c. 10. p. m. 200.* Proinde rela-  
tivum SUUS, juridicè non sumitur in eodem sensu & modo, quo  
sumitur apud Grammaticos, minus in ejus explicatione JCrus  
æqve curat constructionem grammaticam, sed intendit significa-  
tionem juris, quatenus verbo junctum per se est significativum *l. 3.  
ff. de Agn. lib.* quod de adjectivis dici non posse Grammatistæ no-  
runt, cum ipsum adjectivum adjectionem vocis substantivi signi-  
ficet. Emphaticum proinde verbum SUUS est, tum quia nomen,  
quia per se positum est significativum, tum quia rem, quia viventis  
hereditatem, quæ alias non est, significat. Adeoq; suus heres, uti  
*Hotom.* loquitur, vivente patre dicitur heres  $\epsilon\ \pi\epsilon\delta\lambda\eta\psi\upsilon\upsilon$ , mor-  
tuo illo  $\kappa\alpha\iota\ \alpha\upsilon\alpha\theta\omicron\omicron\epsilon\gamma\iota\upsilon$ .

Proinde logicalis illatio sequens est :

*IX. De quocunq; juridicè prædicatur quod sit SUUS, vel suus heres,  
ille etiam talis est, & talis dicitur.*

*In sexcentis autem locis & quoties in toto corpore juris in præsentè  
significatione vox suus occurrit, etiam de filia propriè & juridi-  
cè prædicatur.*

*E. filia talis est, & juridicè talis dicitur :*

Talia enim sunt subjecta qualia permittuntur esse à suis prædi-  
catis.

*X. Cui competit jus sui, ille est & dicitur Suus heres ; Filia que tem-  
pore mortis patris in ejus potestate est competit jus sui heredis.*

*E. talis est & dicitur :*

Hujus Major est in L. XII. Tabul. ab illo enim, qui suus in illa lege  
dicitur, sinitas descendit, tanquam à concreto abstractum, quia ab-  
stracta uti ex præceptis Philosophicis didicimus prædicantur de suis  
concretis, non autem contra. Sed fortean & hic, ne Grammatici  
mihi dicam scribant, mihi metuendum est, cum sinitatis verbum  
Laurentio Vallæ, uti nomen sui heredis Politiano novum & in cog-  
nitum videatur *Alciat. l. 4. d. V. S.* sed nec horum tumultus expa-  
vesco : Uti enim prisca nomina exoleverunt, ita alia cum ætate  
adinventa & mutata sunt, ut ait *Varro de lingua latina lib. 4. unde  
Hotom.*

Multa



*Multa renascuntur que jam cecidere cadentes;*

*Que nunc sunt in honore vocabula, si volet usus  
quem penes arbitrium est, & vis & norma loquendi.*

Nec ego cum Petto Greg. Tholos. Ciceronem & Livium vel  
alium quemvis scriptorē classicum, tanti facio, quanti in terminis  
artis nostræ, nostros Jureconsultos. ; Uti itaq; jus sui vel suitas illi  
competit, qui in patris potestate mortis tempore proximior fuit  
*d. l. 7. ffund. Lib.* Ita idem ille, sive filius sive filia sit, dicitur SUUS  
heres, quia qui in l. XII. Tab. dicitur suus, ipsi competit jus suita-  
ris. h. e. transmittere potest hereditatem non aditam quasi ipso  
jure acquisitam *d. l. 14. ff. de suis & leg.*

XI. Unde porro legitime infertur:

*Cui competunt omnia requisita sui heredis illi etiam competit nomen  
sui heredis; sunt autem requisita sui heredis (1) ut sit in potes-  
tate patris, licet sola potestas patria non sufficiat, d. §. 2.  
Inst. d. hered. qual. & diff. (2) ut proximum gradum obti-  
neat §. 2. & 3. Inst. & hered. q. ab intest. def.*

Quod autem filix in factis patris constituta, hæc requisita  
competant, est extra dubium; proinde etiam extra dubium erit,  
quod juridicè filia sit & dicatur Suus heres. Jctorum enim præ-  
cipuus interpretandi modus est, quando verba cum mente legis  
consentiunt, inter quæ hic nullus omnino dissensus sed elegans  
potius harmonia occurrit.

XII. Ubiq; igitur terminus artis & magistralis est, ibi definitio  
termino inherere, ad interpretandi, docendi & discendi facilita-  
tem apprime facit: quoniam jura non ad ostentationem, sed ad  
captum discipulorum sunt inculcanda *argum. cap. fin. distin. 83.  
Can. oportet 6. q. 1.*

Atque Sui & Sui heredis verbum est terminus artis & technologi-  
cus, quod apud omnes est in confesso, quodq; inde etiam pro-  
batur, quia in d. l. 220. d. V. S. dicitur nomen suorum esse ci-  
vile.

E. Illi termino magistrali inherere, ad interpretationem juris  
apprime facit.

Quia



Quia, quod probe notandum, vox SUUS non refertur ad substantivum antecedens, sed consequens; Et ita, si significatio juris abesse, nec grammaticè pravè filia SUUS heres diceretur, quoniam suffragante grammaticarū ordine, nomen heredis est generis communis, ergo per se cum masculino vel foeminino genere constructur indifferenter, quia propter SUUS heres sine ullo respectu sexus absolute potest constructi: quamvis mihi, de verborum cortice disputare nunquam fuerit animus. Nec hisce obstat quod in iure filia, quæ in defuncti patris potestate fuit, secundum constructionem grammaticam & simul secundum juris significationem, dicatur sua heres: Nam illud ego nunquam negavi, sed tantum terminum artis, quid & quis sit suus heres, publicè Auditoribus meis exposui. Minus obstat quod masculinum, ceu dignius, includat foemininum: Hoc enim ex interpretatione juris verum esse, in Collegio meo & dictatis ad L. 1. D. V. S. satis superq; demonstravi arg. l. 116. l. 105. d. 1. idemq; tamen hue male affertur, quia non de termino artis, qualis in presentiarum occurrit, sed de termino communi & oratorio talis interpretatio, præter nativam & propriam vocis significationem, admittitur. Est autem interpretativa vocis significatio, quando ex eo quod dictum est aut scriptum, illud colligimus quod scriptum non est aut dictum, inde rectè dicimus quod in legum explicatione, sensus potius legis, quam verba sint attendenda l. 17. 29. ff. de LL & quod in stricta verborū significatione sæpe subtilitas sit, & pernitiolè erretur l. si tibi ff. de R. C. Comf. l. 2. Misc. 19 quia non oportet jus civile calumniari, neque verba captari, sed quia mente quid dicatur animadvertere convenit l. 19 ff. ad exhib. c. humane aures 22. q. 5. Verum enim veto in proposita materia, solliciti duntaxat sumus, de generico aliquo verbo, quod æqualiter de suis speciebus, h. e. de filio, filia, nepote, nepte, & omnibus qui in defuncti patris potestate proximū locum obtinuerunt, prædicatur. Quis autem diceret, genus de suis speciebus, vel speciem de suis individuis prædicari interpretativè, quin potius propriè & propriissimè. Uti enim suus hæres, in l. XII. tab. genericè ponitur, & à Doctoribus, Legum indubiamente omnino conspirantè, definitur, ita de filia æqvè propriè ac de filio, secundum signifi-



significationem juris, prædicatur. Notari autem hic specialiter cupio, quod genus & species aliter in jure sumantur, ac communiter apud logicos *Ritterbus. & communiter DD. ad §. 22. I. de leg. Carpov. p. 3. Dec. III. ult.*

Hiscæ rationibus motus, fervido docendi conatu, cum præcipuè casus occurreret conveniens, filiam suam heredem esse dixi, ut terminus ille juridicus, eo firmiter Auditorum meorum animis imprimeretur. Nec credo ullum ingenuæ indolis studiosum, me idè malitiosè detulisse, vel sinistri quicquã suspicatum esse, sed fortean de termini proprietate dubium, discendi studio aliquè interrogasse, & ita in Zoilum meum & Aristarchum quendam, omnium puncto obtusum nimis, incidisse. Miratus autem sum maximè, illum inde maledicendi occasionem arripuisse, meve non traduxisse tantum malitiosè, sed & ignorantia & ruditatis, quodq; studiosos Juris decipiam, incusasse. Hoc autem impurissimo ore impudentissime factum esse, non audiui tantum, sed & probabo evidentissime. Hactenù ego, quod concedo, non proposui articulos fidei, nec mortalium ulli, ut juraret in verba magistri, imperavi: nam Socraticum illud, ἀνθρώποις ἐπιφά, ab ingenua indole & vera prudentia alienum semper duxi: siquidem libertatè arbitrii, quam mihi jure tribuo, etiam jaliis meæ sponte permitto; neque etiam de capite civis Romani fui sollicitus; minus aliquem perduellionis reum egi, sed in re, quod lubentissimè fateor, nauci, & quæ nullam honoratorum disquisitionem meretur, ad erudiendam tamen studiosam juventutem perbelle facere videtur, malevolorum & sciorum arbitrio non satisfacere. Inde hic apud me non est princeps quaestio: An filia juridicè dicatur SUUS vel SUA HERES: illam enim & similes quaestiones, quæ nec ad veram philosophiam, nec ad bene beatèq; vivendum pertinent, nec ad famam dignitatemve Professoris quicquam conferunt, nec bonum publicum ulla ratione promovent, nec ad retinendam civilis vitæ conjunctionem sunt utiles, illis ego discutendas relinquere soleo, quibus volupe est ex musca elephantem conficere, & stultas habere nugas. Sed, quando docendi ardore, filiam juridicè suam heredem esse dixi, an idè incusandus sim ruditatis, inscitia, & quod decipiam cupidam

B legum



legum juventutem. Statuit Jurisconsultissimus Cujacius ex *l. 38. ff. d. pœn.* mulieres non esse homines; Amplissimus Cothmannus usuras usurarum esse licitas, ut sexcenta id genus alia JConsultorum dicta taceam. Scripsit non ita pridem aliquis, sponsam german. *Braus* à *fœda* voce *brüen* derivari. Alter nuper non erubescibat, cum publicè diceret, *en tibi sceperas*. Ego illos, hunc & istum, ideo nec semidoctos, nec rudem, nec obscœnum dixi; Patior potius uti quisq; suo sensu abundet, sibiq; sapiat, placeatve, modo ego Auditorum meorum emolumentum, & ita bonum publicum promoveam. Et certe, si cum Demetrio joculari mihi licitum esset, non magis in vulgo curassem vocis sonum, quam ventris crepitum, adeoq; potuissem illos insultus, seu stulti hominis, seu rabidi canis, negligere vel contemnere potius, cum certus sim Doctos simul & Doctores, qui honorato numero ex nostra schola prodierunt, & quorum mentes ego puriori Jurisprudencia indui, longe aliam de me sustinere sententiam. Nolo autem calumnias calumniis refutare, nec par, quod alias in facili esset, referre: sed uti argumentis & rationibus certare, gloriosum semper duxi, ita in posterum eadem mihi princeps cura erit: siquidem scurrarum, sannionũ, nebulonum, susurronũ, canum & bipedum pessimũ est, latratu & calumniis respondere. Interim Injurias, mihi nefario ausu & modo illatas, superioris Jurisdictioni commissi, qui litem hanc juste sapienter disceprabit, dijudicabitve, meamq; famam ita integrã bono cum Deo vindicabo, & legitimo tramite servabo illasam. Cum & censor ille, ad nullam quidem partem idoneus, qui me meumq; adplausum maledictio sermone criminatus est, salutem meam extinguere, vel bonam famam infringere, nihil magis possit, quam ligatũ canis clamaso latratu lãdere. Cœterum cum censor ille parũ subtilis, & omnium minime adprobatus, me informare cupiat, quomodo potuissem, vel debuissim potius, verba mea civiliter magis attemperare, & studiosos Auditores secundum leges erudire, haud abs re, imò operã pretium esse videtur, modum illum loqvendi examinare, & accuratori mente perpendere. *Quærit is, cur non dixerim. 1. Filia est sui parentis heres? vel 2. filia est ipso jure heres? vel 3. filia ex jure suaratis est heres?* Tribus hisce propositionibus

bus



buspondo aliquod in esse videtur, non tamē, ex oraculo delphico  
 illas promanasse, ulla ratione mihi persuaderi patior. Interea pro  
 stabiliendis illis, adducitur *Gothofr. ad l. un. §. 5. C. de Cad. toll.*  
*Lit. T.* qui certe, si illa, ad quorum fidem faciendam allegatur,  
 probaret, me merito dubium redderet, cum nostri seculi Papinia-  
 nus jure audiat: verum idem ille inspicienti mihi omnem scrupulum  
 exemit. Verba enim ejus, ne videar lucem metuere, vel  
 cuiquam injuriam facere, huc adscribam: *Transmissionum*, *sch.*  
*hereditatum, tres modi. Primus fit suicitatis jure, quo filius qui in pote-*  
*state defuncti erat, hereditatem, licet non aditam, transmittit ad heredes*  
*etiam extraneos l. ult. §. qui admitt. ( quia suus ipso jure est heres et si*  
*non adeat §. sui 2. Inst. de her. qual. l. 1. ff. si quis om. caus. l. 11. ff. de li-*  
*ber. ) Quid si repudiavit expresse: aliud dicendum fuerit, l. un. §. tit.*  
*prox. Jason. in l. 4. §. qui adm. Secundus modus transmissionis sanguinis*  
*jure fit, quo hereditatem ascendentium cujusq; sexus non aditam transmis-*  
*simus ad solos descendentes. Tertius fit beneficio legis l. 19. §. de jur. delib.*  
 Hæc sunt quæ laudatissimus Gothofredus d. l. scripta reliquit,  
 inde, si mihi cum censoris venia, in propria causa sententiam di-  
 cere liceret incorruptam, quid erui possit, non video: siquidem ego  
 sollicitus sum, quis dicatur suus heres; Dominus Gothofredus au-  
 tem, occasione *l. un. §. 5. C. de Cad. toll.* quomodo transmitta-  
 tur hereditas quærit: hinc certe à diversis mala & inepta fit illatio.  
 Singulas itaque propositiones accuratius pensitabo, quidq; ro-  
 boris in illis sit, exquisitius intuebor (1) *Filia est sui Patris heres?*  
 dic mihi sodes, quænam inde formanda conclusio, & cur non  
 eadem dexteritate possim dicere, filia est suæ matris, vel sui fra-  
 tris heres; inde tamen non sequitur, ergo est suus heres, quoniam  
 suus heres non habet respectum ad eum cui quis succedit, sed ad  
 eum qui sibi ipsi succedit, vel sui heres est. Ita filia emancipata est  
 sui Patris heres, sed ideo non est suus heres: respice si placet ad  
 argumentum meum septimum, & habebis quod agas. (2) *Filia*  
*est ipso jure heres?* Hic certe proverbia vel ænigmata potius loqui  
 videtur, immaturus veritatis censor: videamus consequentiam &  
 simul absurda hominis principia errores ejus crassos denudabunt:  
 Quicumq; est ipso jure heres, ille est suus heres: Ego subsumam:



Proximus agnatus, deficiente suo, est ipso jure heres, scilicet ex l. 12. tab. l. 1. §. ff. de P. H. Ergo est suus heres. Vah quam egregia propositio, cædro certè digna, modo universaliter vera esset. Nā quia dubiæ orationes ad erudiendam juventutem non sufficiunt, nec hæc propositio, naturam sui, explicat. Rectè quidem DD. inferunt, suum heredem ipso jure, hoc est, sine aditione hereditatis, heredem esse l. 14. de suis & leg. unde & suos statim heredes esse in l. 1. §. 6. ff. si quis omiff. caus. vel existere in l. 3. C. de Jur. de lib. dicitur, & post mortem patris non percipere hereditatem, sed magis liberam bonorum administrationē in l. 11. ff. de lib. & postb. licet possessio in eos non æq; transeat l. 23. ff. de A. P. statuitur. Sed inde non concluditur, quis sit & dicatur suus heres, sed quæ suus effective habeat juris beneficia. Quod itaque sui heredes, ipso jure heredes existere d. l. 14. ff. de suis & leg. hered. & quodammodo Domini bonorum paternorum esse dicuntur, illud non constituit suos, sed ad jura suorum, tanquam effectus ad suam causam, pertinet l. 13. ff. de injust. rupt. & irr. fact. test. rectius itaque suo heredis verbo declarantur jura suorum, quam ut, cum ipso jure heres esse quis dicitur, natura sui heredis statim exhauriatur. Quoniam autem illud quod suo jure esse dicitur, ambiguum est maximè, uti decem propositionibus explicat Paurm. de Jurisd. l. 1. c. ult. n. 30. brevibus phrasibus hæc examinanda venit, ne videar verbis ludere, vel, uti censori corrupto placet, ludicra proferre, & ita cupidam legum juventutem decipere. Ipso jure esse, præcipue dicitur dupliciter (1.) Efficienter ut excludat omne factum hominis, adeoq; immediate ex jure fluit, & valet sine alio adminiculo, quatenus per se, sola juris constituti vi et autoritate perficitur, ut ad vim ejus omne extrinsecum excludatur l. 8. §. 16. ff. de in off. test. l. 26. ff. de fidejussoribus. l. 31. de excus. tut. (2.) Effective ut factum hominis supponatur, quod mediate demū ipso jure esse, fieri dicitur, & præterea ad sui perfectionem factum aliquod extrinsecum desiderat. arg. l. 4. ff. l. 4. l. fin. §. 1. C. de compens. Gl. ad §. 30. Inst. de Act. l. 8. ff. ad L. Falc. l. 1. §. si quis ff. quod leg. Inde jam sequitur quod ipso jure fieri dicatur, quicquid ex Legibus fit, veluti L. XII. tab. l. 1. ff. l. 6. C. fam. erc. l. 26. C. de Paët. l. 49. §. 1. ff. de fidei. Ita non tantum filius, qui Patri proximus agnatus



gnatus est l. 12. ff. de suis & legit. hered. & indistincte omnes, qui suorum jura habent, ipso jure dicuntur heredes esse, verum etiam, illis non existentibus, agnati reliqui, quoniam & hos l. XII. tab. ad hereditatem defuncti vocat, d. l. 1. § 3. de P. H. Interim & hic ambigua subest loquendi ratio & aperta æquivocatio: Nam ipso jure heredem esse (1) refertur ad jus succedendi, & ita sui & agnati reliqui, ipso jure dicuntur heredes esse, quia absque facto Judicis vel alterius, disponente ita vi & autoritate legis sunt heredes. (2) Ad acquisitionem hereditatis, & ita sui tantum dicuntur ipso jure heredes esse, quia citra ullum factum, etiam ignorantes, & ob id mortui, antequam resciverint patrem obiisse, hereditatem jure suorum acquisitam habent & domini facti sunt d. § 2. J. de hered. q. abint. leg. 3. 8. Cod. de Jur. delib. l. 14. ff. de suis & leg. (3) Filia jure suitatis est heres? Verum huic propositioni ex superioribus respondere haud difficile est: Non enim ab effectu ad causam, nec ab abstracto ad concretum est argumentandum, ita enim omnis dialectica & ordinata ratiocinatio inverteretur, sed potius à causa ad effectum, & à concreto ad abstractum est procedendum. Itaque filia habet jura suorum heredum, uti leges loquuntur, vel jus suitatis, uti DD. loqui discipiunt, quare: suus heres est, & sic à priori progredimur ad posterius, seu ab antecedenti ad consequens: sed non congruè satis dicitur, jure suitatis est heres: verum quia suus est, habet jus suitatis. Est enim suitas, jus quo omnia illa, quæ apud patrem defunctum fuerunt, in successore, sine additione hereditatis continuantur l. 11 ff. de lib. & post. § 2. Inst. de hered. qua ab Intest. d. 2 f. quatenus ergo filia suus heres est, eatenus jura suorum heredum habet, non autem est heres jure suitatis, sed est heres ipso jure, adeoque hereditatem non aditam, etiam ignorans, jure suitatis ad heredes, extraneos quoque, transmittit l. 9 §. fin. ff. de Reb. Dub. l. 3. C. de Jur. delib. l. 8. C. de suis & legit. vid. Bach. add. 2. J. de her. qual. & diff. Tandem ut intempestivus ille censor, cujus censura magis procax quam perspicax visa est hæcenus, censoriam suam animadversionem ulterius extenderet, me minus legaliter scripsisse, adeoque §. 8. J. de J. N. G. & Civ. ignorare judicat, quando illi Professori, qui nunquam publice vel privatim disputavit



tavit, objeci, quod non ausus sit in publicum prodire, & de jure re-  
spondere. Adeoque perversus ille veri æstimator, ineptissime cen-  
set: de jure respondere, in d. §. 8. esse consulentibus, pro casuum cir-  
cumstantiis, quid juris sit respondere, hinc nos habere Cothmanni  
& Carpzovii Responſa. Certè gloriosus iste nugator, hic jejuni  
admodum ingenii indicium prodit, inanesq; quasdam morſiun-  
culas captat. Parturient montes, sed nascitur ridiculus mus, qui  
mifere ſteidens rodit tantummodo, sed aliud nihil agit. Si quis  
§. 8. J. de I. N. G. & C. tam stulte vellet interpretari, uti hicce ob-  
ſcurus censor, is certe in ipſa juris principia aperte committeret.  
Nam Responſa prudentum, de quibus in d. §. 8. agitur, ſunt, ex  
authoritatè Auguſti imperatoris, ſcripti juris ſpecies §. 3. d. t. junct.  
l. 2. §. 47. ff. de O. I. proin in d. §. de jure respondere, non tam  
eſt Conſilia ſcribere, aut aliàs consulentibus respondere, sed jus  
ita interpretari, ut judici non liceat ab illo diſcedere, quod in effe-  
ctu eſt jus condere l. 1. C. de comm. ſerv. man. l. 23. C. de Procur. l. 25.  
C. de Nupt. l. 120. de V. S. unde dicuntur legum conditores l. 8. C. de  
inceſt. nupt. l. fin. C. de LL. Juris & legum auctores l. 22. §. quidã er-  
enim. C. de furt. l. 1. C. de V. S. l. 15. C. de uſufr. l. 3. C. de Repud. Neq; illa  
reſponſa erant ſingulorũ, sed quatenus diverſæ prudentum ſectæ poſt-  
ea erant, omnium Bach. ad d. §. 8. Meſt. de Juſt. LL. Rom. d. 14. Ego  
quidẽ hic de quintuplici Jctorũ differentia, quam Camarz. de Part. c.  
2. §. 1 f. 2 p. m. 133. defendit, non ero ſollicitus, sed tantum aſſertum  
ibo, partes Jctorũ olim fuiſſe, cavere, jura condere, de jure respondere,  
ſcribere, conſilium dare, vadiſmonia concipere, reſcribere. Briff. de V. S. in  
voce Jurisconf. Et proinde videbo; annon Profeſſor, qui profeſſionẽ  
ſuam exercet, legaliter dicatur de jure respondere, & ita Impera-  
toris Reſcripto in l. un. C. de Profeſſ. qui in urb. Conſt. & ſuæ func-  
tioni, ne dicis tantum cauſa eam obtinere videatur, ſatisfacere? Hoc  
utiq; nemo, niſi cerebro careat, negabit. Ex origine vocis enim  
notum eſt, quod respondeo idem ſit ac retro vel iterum ſpondeo;  
unde Perott. in Corn: cop. ſpondeo veteres uſurpabant pro dico.  
Nam qui ſpondet, ſponte, i. e. voluntate dicit, unde respondeo,  
eſt poſteriori loco dico. Adeoque uſitatiffime, respondere,  
nihil aliud ſignificat, quam reddere ſermonem conformem quæ-  
ſtioni




fioni pr: *Instit. l. 1. §. 1. 2. 3. & 12. ff. de V. O.* Queritur enim, quid juris sit, argument. *l. 88. ff. ad L. Falc. l. 28. ff. de usu & usufr. leg. l. 7. §. ult. de distr. pign. l. 30. de testam. tut.* Respondetur à Jureconsultis de jure. Ita in Disputationibus Studiosi juris, quid juris sit, quaerunt, & Professores, si cum honore officio praesse velint, sciscitantibus respondent, & ita Juris scientiam profitentur arg. *l. 2. §. 35. ff. de O. Iur. junct. d. l. un. C. de Profess.* itaq, ne adfent asini ad Lyram, respondent jus & de jure. Ideo Sabinus cum à Tiberio Caesare impetrasset, ut populo responderet: nec amplas haberet facultates, à suis auditoribus sustentatus est. *d. l. 2. §. 47. de O. I.* Quamvis autem ex veræ Philosophiæ principiis edoctus, sciam, negligendos, & contemnendos esse calumniatorum & detrectorum mortuus, cum potius detestatione digni videantur, quam ut ullam responsionem mereantur, aut viri boni nomen admittant, quoniam direptoribus rerum censentur deteriores *c. ex merito 6. q. 1. c. deteriores 15. eod.* neque fides ulla ipsis adhibenda sit, neve calumniis indulgendum *c. in cunctis 11. q. 3. c. nullum 30. q. 5* cum teste *Plutarcho* apud *Stob. serm. 71.* lingua maledica malæ mentis index sit, adeoq, nemo libere convitiatur apud eum, qui non lubenter audiat maledicta: Attramem cum Medii, qui apud Alexandrum sycophanta, & calumniator insignis fuit, hodiernum circumferatur dictorium: *Calumniare audacter semper aliquid habet,* & vulnus quidem à calumniatore inflatum, non autem cicatrix sanari plenè possit, adeoque quisque bonus in fabulam transire queat: Ego non vano scribendi pruritu, sed iusta honoris & existimationis vindictâ impulsus, occasione *Sui Heredis,* ne videar stultas fovere nugas, & vanis ineptiis impense vacare, oleumvè & operam perdere, **Tractatum De Liberos Differentia & Jure** jam iam elaborandum suscepi, cujus dispositionem, ut censor ille maleferiatus habeat, ubi dentem in dente fatiget, hic subiicere volui. Interim honorem, dignitatem, & famam honestis studiis & vitæ innocentia quaesita, ab omni obrectatorum & diffamatorum morsu mascule defendam, & simul quæ ad Academiae hujus bonum, & studiosæ juventutis emolumentum facere videbuntur, pro virili observabo, ne privata similitates & odia in publicum vergant detrimentum. *Dabam Rost. ex museo 18. Maij Anno 1665.*

HEINRICH RUDOLPH Redeker / D. & P. P.



DISPOSITIO TRACTATUS  
DE LIBERORUM DIFFERENTIA  
ET JURE.













gnatus est l. 12. ff. de suis & legit. hered. & indistin-  
tum jura habent, ipso jure dicuntur heredes esse  
non existentibus, agnati reliqui, quoniam & hos  
ditate defuncti vocat, d. l. 1. & 3. de P. H. Interim &  
loquendi ratio & aperta aqvivocatio: Nam  
esse (1) refertur ad jus succedendi, & ita sui & a  
jure dicuntur heredes esse, quia absque facto Ju-  
disponente ita vi & autoritate legis sunt heredi-  
tationem hereditatis, & ita sui tantum dicuntur  
esse, quia citra ullum factum, etiam ignorante  
antequam resciverint patrem obiisse, hereditate  
qviritam habent & domini facti sunt d. §. 2. J.  
leg. 3. 8. Cod. de Jur. delib. l. 14. ff. de suis & leg-  
tatis est heres? Verum huic propositioni ex sup-  
dere haud difficile est: Non enim ab effectu ad  
abstracto ad concretum est argumentandum, ita  
lectica & ordinata ratiocinatio inverteretur, sed  
effectum, & à concreto ad abstractum est proc-  
filia habet jura suorum heredum, uti leges loqu-  
tatis, uti DD. loqui discipiunt, quat: suus heres  
ri progredimur ad posterius, seu ab antecedenti  
non congruè satis dicitur, jure suitatis est heres:  
habet jus suitatis. Est enim suitas, jus quo omnia  
trem defunctum fuerunt, in successore, sine ad  
continuantur l. 11 ff. de lib. & postb. §. 2. Inst. de be-  
d. 2 f. quatenus ergo filia suus heres est, eadem  
redum habet, non autem est heres jure suitatis  
jure, adeoque hereditatem non aditam, etiam ig-  
tis ad heredes, extraneos quoque, transmittit l.  
Dub. l. 3. C. de Jur. delib. l. 8. C. de suis & legit via  
her. qual. & diff. Tandem ut intempestivus ille  
sura magis procaz quam perspicax visa est hac  
suam animadversionem ulter us extenderet, n-  
scripsisse, adeoque §. 8. J. de J. N. G. & Civ.  
quando illi Professori, qui nunquam publice v-

B 3



the scale towards document